Quelle: https://manuscripta.at/?ID=41359
Copyright: Melk, Benediktinerstift



149

Sermo d omnibus sanctis cum aggr

Videns ihs turbas ascend in montem
et cum sedisset accesserunt ad eum
discipuli eius Et aperiens os suum
docebat eos dicens Beati pauperes
spiritu quoniam ipsorum est regnum
celorum Beati mites quoniam ipsi
possidebunt terram Beati qui lugent
quoniam ipsi consolabuntur Beati
qui esurient et sitient iustitiam
quoniam ipsi saturabuntur Beati
misericordes quoniam ipsi misericordiam
consequentur Beati mundo corde
quoniam ipsi deum videbunt Beati
pacifici quoniam filii dei vocabuntur
Beati qui persecutionem patiuntur
propter iustitiam quoniam ipsorum est
regnum celorum Beati estis cum
maledixerint vobis et persecuti
fuerint et dixerint omne malum
adversum vos mentientes propter me
gaudete et exultate quoniam merces
vestra copiosa est in celis Sic enim
persecuti sunt prophetas qui fuerunt
ante vos Vos estis sal terre Quod
si sal evanuerit in quo salietur
ad nichilum valet ultra nisi ut
mittatur foras et conculcetur
a hominibus Vos estis lux mundi
non potest ciuitas abscondi
supra montem posita Neque
accendunt lucernam et ponunt eam
sub modio sed super candelabrum
ut luceat omnibus qui in domo
sunt Sic luceat lux vestra coram
hominibus ut videant opera
vestra bona et glorificent patrem
vestrum qui in celis est Nolite
putare quoniam veni solvere legem
aut prophetas non veni solvere
sed adimplere Amen dico vobis donec
transeat celum et terra iota unum
aut unus apex non praeteribit a lege
donec omnia fiant Qui ergo solverit
unum de mandatis istis minimis
et docuerit sic homines minimus
vocabitur in regno celorum Qui
autem fecerit et docuerit hec
magnus vocabitur in regno celorum
Dico enim vobis quia nisi abundaverit
iustitia vestra plus quam scribarum
et pharisaeorum non intrabitis
in regnum celorum Audistis quia
dictum est antiquis non occides
Qui autem occiderit reus erit
iudicio Ego autem dico vobis
quia omnis qui irascitur fratri
suo reus erit iudicio Qui autem
dixerit fratri suo raca reus erit